

De Monte Cretaccio, Force et Capradosso.

In Dei nomine, amen. Hii sunt testes recepti et scripti per me Bondemandum notarium de Macerata sub examine proborum viorum domini Herrici et Iohanni iudicu[m] de Macerata ex spetiali commissione eis facta a reverendo viro et patre et domino Bernardo abbatte Montis Maioris, Marchie Anconitane rectore, inter partes infrascriptas sub intentionibus et articulis subnotatis sub anno Domini .M°CCLXXVIII., indictione .VII., t(em)pore domini Nicolay pape tertii.

Coram vobis venerabili patre domino Bernardo abbate Montis Maioris, iudice delegato, ut dicitur, a su<m>mo pontifice Nicolao papa tertio, ponit et probare intendit dominus Iacobus Bartholomei, syndicus co(mmun)is Esculi et universitatis eiusdem, nomine et vice ipsius universitatis et eius defensionum, contra do(m)pnum Raullinum, qui asserit se sindicu[m] abbatis et conventus monasterii suprascripti et ipsius monasterii et contra predictum abbatem et conventum et monasterium predictum, qualiter castrum Montis Cretactii, castrum Furcis, castrum Capradossi cum pertinentiis et adiacentiis ipsorum castrorum sunt sita et posita in territorio et districtu civitatis Esculi et de hoc est publica vox et fama et co(mmun)is omnium oppinio.

Item qualiter dicta civitas Esculana tenuit et possedit et habuit dicta castra per .X., .XX., .XXX., .XL. annos et plus et per tantum t(em)pus cuius non extat memoria sicut aliquis habet et tenet suum proprium.

Item qualiter dicta civitas et universitas Esculana t(em)pore quo dominus Fredericus imperator et rex Ence eius filius dicitur occupasse, invasisse et usurpasse provinciam Marchie et supradicta castra et erat in possessione ipsorum castrorum et ante fuit in possessione dictorum castrorum.

Item qualiter potestates et rectores, qui fuerunt pro t(em)poribus in dicta civitate Esculi, et dominium exercuerunt et habuerunt plenam et plenissimam iurisdictionem in civilibus et criminalibus II (c. 94v - LXXXXVIv) causis in hominibus dictorum castrorum et in dictis castris per .X., .XX., .XXX., .XL. annos et plus, faciendo delinquentes suspendi, puniri et decapitari secundum quod requirebat natura et qualitas delicti et per tantum t(em)pus cuius memoria non extat.

Item qualiter de omnibus predictis et singulis est co(mmun)is opinio in civitate Esculana et abbatia predicta et dictis castris et eius territorio et districtu et sunt ita publica et notoria quod non possunt aliqua tergiversatione celari.

Valiens Iusti de Esculo, test(is) iuratus, presentibus dictis partibus, ut suprascripti iuraverunt, primo articulo sibi lecto, dixit quod a flumine Asi versus Esculum publica fama est quod est de territorio Esculi et castrum Furcis et Montis Cretactii sunt in dicto territorio. Interrogatus quomodo scit, dixit quod per publicam famam scit, aliter non.

Super secundo articulo, dixit quod co(mmun)e Esculi habuit, tenuit ipsa castra per .XXX. annos et plus. Interrogatus quomodo sit, dixit quod vidit ire castellanos ad castrum Furcis^(a), videlicet pro co(mmun)i Raynaldum Manardi, qui tenuit castellaniam per tres annos et Lucam Homodei et Canbium Thom(e) et vidit pluries ad castrum Furcis ipse test(is) et vidit ire pro castellano ad Montem Cretactium pro co(mmun)i dominum Gentilem Loterii, Exmerallum Barth(olome)y et aliis de quorum nominibus non recordatur, set in castro Capradossi non vidit aliquem castellanum pro co(mmun)i Esculi. Interrogatus si fuit presens ordinationi dictorum castellanorum, dixit quod ipse test(is) erat in civitate et vidit predictos quando ibant ad predictum officium castellanie et audivit quod co(mmun)e dabat sollos. Interrogatus quantum t(em)pus est quod Mons Cretactium factum et edificatum fuit, dixit quod primo civitas habuit et tenuit castrum Montis Cretactium antiquum a t(em)pore domini Iacobi de Murro, vivente imperatore, postea costruxit novum castrum. Interrogatus de quanto t(em)pore, dixit a .XXV. annis citra. Interrogatus quot annorum est ipse testis, dixit centum annorum et credit et recordatur de imperatore Herrigo et de imperatore Oddone.

Super tertio, dixit se non bene recordari aliquid.

Super quarto articulo, dixit quod potestates Esculi qui fuerunt pro t(em)poribus iustificabant et condepnabant homines dictorum castrorum ut alios homines civitatis. Interrogatus quomodo scit, dixit publicam famam et aliter non.

Super quinto et ultimo articulo, dixit quod de hiis que supra testificatus est, est publica fama. Interrogatus quid est publica fama, dixit quod audavit dici a bonis hominibus civitatis. Interrogatus si fuit doctus vel rogatus, dixit quod non. Interrogatus quam partem vellet octinere, dixit ius habentem.